




# Scotia Regnum.

<https://hdl.handle.net/1874/432012>



## S C O T I A.

se extendit. Cujus Longitudo itidem inter grad 13. & 19. posita est. Qua autem Arctum versus, in angustias se contrahit, ad Borealem Polum ita prope accedit, ut directe ad perpendiculum, sub postremis Majoris Virae Stellis subjiciatur.

*Scotia* omnis in duas præcipue partes, *Tajo* flumine intermeante, dividitur. Australis (quæ *Cis-Taiana*) & frequentius habitat; & moribus, divitiis ac humanitate excultior. Borealis, sive *Trans-Taiana*, agrestior & rudior, mores etiamnum *Sylvestris Hiberni*, genuini & prisci *Scoti*, recipit retinetque. Vtriusque autem Regionis hi sigillatim Comitatus sequuntur.

Australis.

Vallis ad Trivium flu. five Tevidale	Gallovidia.	Stirlina five Stirlinga.
Merchia.	Carriota.	Fifa.
Lodoneum.	Ryle.	Strathernia.
Vallis ad Lidda flu. five Lidifdale.	Cunninghamia.	Menteithia.
Vallis ad Eskam flu. five Eskdale.	Arrana, five Glosa Insula.	Argathelia.
Vallis ad Annan flu. five Anandale.	Vallis ad Cluidha flu. five Cluidifdale.	Caput Terræ, five Cantire.
Vallis ad Nidum flu. five Nidifdale.	Levinia, five Lennoxio.	Lorna,

Borealis.

Loquabria.	Angusia.	Moravia.	Strathmaverna.
Braid-Albin, five Albania.	Merns.	Rosia.	
Perthia.	Marria.	Sutherlandia.	
Atholia.	Bugubria.	Carbanesia.	

Atque illæ regiones denuo subsecantur in vicecomitatus, Seneschallias & Ballivatus, plurimæ ex parte Honoratis familiis hæreditario jure annexæ. Quod autem ad Iurisdictionem Ecclesiasticam attinet, duobus Metropolitanis Archiepiscopis subjicitur, S. Andreae, qui & Primas *Scotie*, & *Glascoensi*: Quorum Diœceses distinctim hoc ordine subsequuntur.

S. Andreæ.

Dunkeldia.	Brechina.	Gallovidia.	Glafoensi.
Aberdonia.	Rosia.	Argathelia.	
Moravia.	Carbanesia.	Insulae.	
Dunblana.	Orcades.		

Inter alia quæ antiquitatis memoriam suo jure vendicant, memorabilis est imprimis Prætentura illa, quæ ab Abercornia juxta Glottæ æstuarium, sive Edenburgi fretū, ad Alclud sive Bodotriam, quæ nunc Dunbritton, & in Occidentale Oceanum patet, perducta est: ubi Iulus Agricola Romani Imperii limitem posuit: ultra quem, non aliud *Britannia* termini qua rendi erant. Hic autem secundam Legionem Augustam, & vigesimam Legionem Viætricem, partem Muri duxisse, quædam Inscriptiones eo loci effossa, & ad Duriloy & Cader reservatae, testantur: uti etiam antiquum satis loricatedum Monumentum, editiori situ, & orbiculari forma: quod quidam Templum Deo Termino consecratum fuisse volunt: alli Tropæum quoddam à Carausio excitatum, qui hunc ipsum Murum septem Castellis, *Ninio* auctore, firmavit.

Hoc in loco, *Sylva Caledonia* se primum oculis offert, candidis Tauris sylvestribus quos aluit, nobilis; densis crispisque jubis, Leonum instar, vestitis, iisdemque feris & truculentis, adeoque ab humano genere alienis, ut quæcumque homines vel manibus attraherent, vel halitu afflaverint, abhorrent. Quæ *Sylva* five *Saltus*, olim longe lateque diffusa, multis flexuosis anfractibus invia, proceris arboribus opaca, antrisque umbrosis ac latibus, formidolosa fuit: ita *Romanis* Scriptoribus celebrata, ut pro *Britannia* universa, *Caledonia* nomen usurparint. *Hujus* Traetus Incolæ, novissimi hujus Insulæ colla jugo servitutis, uti in sequenti Historia videbitur, submisserūt.

*Ninianum* *Britannum* Australes *Pictos* Christiana fide primum imbuisse, *Theodosio* juniore imperante, & Scriptores produnt, & *Templū* sui nominis in *Gallovidia* testatur. Eodem etiam seculo, *Palladius* à *Cœlestino* Papa missus, & *Apostolus* *Scotis* destinatus est: cuius reliquæ, ad *Fordon*, in Regiuncula quæ *Merns* dicitur, ut creditum est, reposita fuere. Christianam vero Religionem in hac ultima Provincia ante hoc tempus plantatam fuisse, *Tertullianus* testis est: qui ait *Britannos* fidem amplexos fuisse ultra quam *Romani* armis vel assequi vel perseguiri potuerint: unde *Petrus* etiam *Clunensis* Monachus *Hibernus*, conversionem eorum, antiquorem quam illam Australium *Britannorum* fuisse, confirmat.

Quod ad res recentioris memoriarum, & in præsenti observandas attinet, mirandum est quod de pecoris, piscium, & avium abundantia hic degentium vulgo fertur. Boum genus corpore quidem exiguum, sed gregibus & armentis numerosum. Piscium autem tanta copia est, ut aliquibi accolæ animi causa, jucundo spectaculo, Equites hastis Salmones venentur. Volatilium etiam marinorum quoddam genus, anserum præfertim, quos *Soland-Geeſe* vocant, sua multitudine (ut ferunt) aeris regionem ita occupant, ut in serenitate Solem ipsum vel admant vel obscurant: quorum è carne, plumis & oleo, incolis, quibusdam in locis, multum luci magnusque usus accrescit è piscibus etiam, quos adferunt recentes, de cibo & vieti; è ramusculis etiam, quos ad nidos construendos convehunt, de ignis alimento prospectum illis est.

Inter hæc, liceat mihi de insignioris nota duabus lacubus, tanquam de miraculis dicere,

Lomando

## S C O T I A.



*Cotia*, alterum *Magne Britannie* Regnum, & Borealis Insulæ pars, ab Ortù, Germanico Oceano; à Septentrione, *Orcadibus* & *Deucalidonio* Mari præcingitur; ab Occasu, *Hibernia* objicit: ad Austrum, *Tueda* fluvio, *Chevrot* montibus, cum adjacente tractu ad *Solway* æstuarium pertinentibus, ab *Anglia* dirimitur.

Regnum hoc & speciosum est & spatiolum, & à supra dictis Australibus terminis late se tam in Orientem, quam Occidentem distendit, donec arctius ad Borealia usq; Promontoria se contrahat: omnibus celebritate tanti Regni dignis instructum tam celo quam solo fluminibus, sylvis montibus, piscibus, avibus, peccore, & frumento adeo felix, ut defectui aliarum regionum abunde supplendo sit.

Sunt autem *Scoti* ipsi, membrorum lineamentis & compage landabili, corpore validi & robusti, animo fortis & generosi, in bellis audentes adeo & impavidi, vix ut ulla res præclare gesta & præmium extiterit, in quo illi in acie & primi & postremi non fuerint. Nobiles qui sunt & clarius sanguine orti, literarum & omnis humanioris scientiæ admodum studiosi: cujus causa non modo tres illas sua Gentis Academias, S. *Andreae*, *Glascoensem* & *Edimburgensem*, Pietatis seminaria, & sacrarum Musarum Mansiones five Domicilia frequentes adeunt, sed etiam in exteris Regiones bonarum literarum ergo proficisciendi non vulgari studio capiuntur.

Comitatus quos hoc Regnum habet multi sunt, & passim sparsumque Vrbibus, Oppidis ac Burgis, uti & illi *Anglia* distinæti. Incola (ut ita dicam Australiores) ab eadem Origine qua *Angli* oriundi sunt, genuina peræque *Saxonum* progenies: & *Picti*, olim illius Regni partem incolentes, indigenæ fuerunt, & ipsi *Britanni*, iij sc. qui ad evitandam *Romanam* servitutem eo confugerunt: Quorum quidem Nomina *Diocletiano* Imperatore primum distingui cœperunt, cum *picti* ab infiendo corpora sua perinde ac *Britanni*, *Flavio Vegetio* testante, dicti essent. Quod eo magis Camb. Britan. in descriptio ne Pictorum Anglia Anna confirmatur, cum *Britanni* etiam ipsi Septentrionales ad Christianam fidem à S. *Columbo* conversi *Britanni* *Picti* vocentur.

At vero superiores illi *Scotie* Incolæ, quos *Highland-men* appellant, veri sc. & nativi *Scoti*, à *Scythis* les. originem suam traxisse creduntur, qui conjunctis sibi *Getis* *Hiberniam* infestarunt, & sobolem ibi suam & mores reliquerunt, qui in *Sylvestribus* *Hibernis* in hodiernum usque diem apparent. A *Scythis* etiam, ut creditur, nomen *Scotorum* deductum est. Ita enim *Beli* & *Germani* inferiores, *Scythes* & *Scotos* uno nomine *Scutens* appellant. *Gildas* itidem *Hiberno Britannos Scythes* vocant: *Aelfredus* etiam Rex, dum *Orosi* Historiam in *Anglicam* linguam transferret, *Scotos* in *Scytam* convertit. Atque uti, auctore *Walsinghamio*, iidem dicuntur *Gete*, *Getici*, *Gothi*, *Gothici*: sic ab eadem origine, *Scythe*, *Scythici*, *Scoti*, *Scotici* appellantur.

Mores utrisq; consimiles & *Diiodorus Siculus* & *Strabo* affirmant: nec vestes multum dissimiles: ut è *Sidonio Appollinari* colligere licet: ubi nostræ ætatis *Sylvestrena* *Hibernum* potius quam antiquum *Getam* describere videtur. Hujus tamen Gentis primordia deducunt quidem à *Scota Pharaonis* *Egyptii* Regis ementita filia, quæ *Mosen* sc. sustulit eduxitque quæque post *Gathelio* filio *Cecropis* qui *Athenas* condidit, enupta fuit. Hic autem cum in *Hibernia* primum sedem suam posuisset, inde in *Hiberniam* ac demum in *Scotiam* commigravit; ubi conjux sua *Scota*, nomen Genti indidit: si illis fides habenda sit, qui ad Lunam collimantes, scopum attingere videri velint.

*Scythes* autem in *Hispaniam* venisse, præter *Scythicum* de suo nomine Promontorium, *Silius Italicus* ex *Hispania* oriundus docet: *CONANOS* enim gentem illic positam, è *Massagetis*, i. *Scythes*, procreatos ostendit: & *Sarmatas*, quos inter omnes constat *Scythes* fuisse. *Susanam Hispanie* Vrbem construxisse ait. Qua ratione ex *Hispania* in *Hiberniam* transmiserint, eamque sui juris fecerint, eo ipso tempore quo *Iudea* Regnum floruit, & *Ninius* *Eluodigi* discipulus plane scripsit; & *Hibernicæ* ipsæ Historia de *Nemetho* & *Dela*, præter *Cisneri* & aliorum authoritatem, produnt. Quos quidem nomine *Scotorum* primitus cognitos fuisse, è *Porphyrio* (quem *Beatus Hieronymus* citat) Imperante *Aureliano* colligitur. *Gildas* eos, ex *Hibernia* Graffatores nominat: *Giraldus*, *Scoticam Nationem* ex *Hibernia* oriundam: quæ ipsorum ratione ab *Eginardo*, *Insula Scotorum*: à *Beda*, *Insula Scotis habitata*: ab aliis Historicis, *Scotia Magna*, uti eorum in *Britannia* fides, *Scotia Minor* dicta est. Beda lib. 1. c. 11

Hi igitur *Scoti*, Romanorum Imperio plus quam divergentes, *Reuda* duce in *Britanniam* irruerunt: qui societate cum *Pictis* inita, Borealem Insulæ partem occuparunt, iisque contra *Britannos* à *Romanorum* discessu jam nutantes & labescentes, auxilio fuerunt. Postea vero, intefinis inter se dissidiis exortis, se suaque fortunas omnes in unius diei præliiq; aleam conjecterunt: quæ in pugna Ann. 740. commissa, *Picti* & vita primum, & nomine prorsus suo paulo post exciderunt. *Scoti* autem debellatis jam *Pictis*, & *Fortunæ* beneficio viatores, in tantam gloriam & potentiam Regnum evererunt suum, ut multis jam seculis invictum contra omnes omnium hostium imprecisiones atque impetus perficerit.

*Australis Scotia* pars in *Gallovidia*, quam *Sinus Solway* suis tundis alluit, Latitudine grad. 56. attingit: inde vero, multis & *Lacubus*, & *Maris* recessibus in se insinuatis, ad 60. grad. & 19 minut.

M fe exten-